

dicitur ecclesiastici xxxiiii. Qui edunt me adhuc esurient. Ecce saietas. Adhuc et sitient. Ecce auditus. Qui audit me non confundetur. Ecce securitas. Secundo videndum est quis sit via veniendi ad nuptias. Dicendum quod humilitas. Quod notatur cum dicitur. Vade et recumbe in nouissimo loco. Humilitas enim meretur gratiam per quam venitur ad nuptias celestes. Gregorius. Quanto autem quis est humilior tanto erit in gratia et gloria maior. Et hoc per quatuor exempla ondi patet. Primum in pupilla. Gregorius. Pupilla quanto est nigrior tanto lucidior. Sic homo quanto magis nigrescit in conspectu sui: tanto magis lucescit in conspectu dei. et hoc in presenti per gratiam. et in futuro per gloriam. Secundum est. quod candela quanto plus in imo ardet: tanto plus illuminatur. sic quanto plus humiliat se homo: tanto maiori luce gratie et glorie repletur. Tertium est. aqua quanto plus descendit deorsum tanto magis ascendit et crescit. sic homo quanto plus descendit humiliando seipsum tanto magis ascendit ad deum. Augustinus. Descende: vt ascendas ad deum. vnde cecidisti ascendendo contra eum. Quartum est in corde animalium. Animalia enim habentia cor magnum sunt magis timida. sicut patet in cervo et a fortiori habentia cor mediocre sunt audacia. vt patet in cane. habentia cor paruum sunt audacissima. sicut in leone. et etiam patet in igne. quia ignis domum magnam calefacit minus. mediocrem magis. paruam maxime.

Sic etiam accidit de spiritu sicut de calore. in magno. mediocri et paruo corde. Sicut enim cor quanto est minus in quantitate: tanto est fortius in virtute. sic et homo quanto fuerit humilior tanto in gratia et gloria erit sublimior.

Dominica xviii.

Sermo primus

Audientes pharisei quod ihesus silentium imposuisset sadduceis etc. Matthei xxii. Sicut dicit in historia scolastica. erant sectae inter iudeos ab aliis dicentes. scilicet pharisei. sadducei et esei. Pharisei ab aliis diuisi erant quo ad habitum. quia in fronte et in brachiis cartas in quibus decalogus erat scriptus portabant. quia dicebant philacteria. A philar quod est seruare et thorax quod significat legem. Habebant etiam in fimbriis pallium spias alligatas quas punctio mirabilis ornabat: mandatorum dei memores fierent. Et quia sic ab aliis diuisi erant: pharisei vocabantur. Pharisaeus autem a phares quod est diuisio dicebatur. Alii erant sadducei qui ab aliis differebant quo ad doctrinam. Ipsi vero resurrectionem negabant. animam cum corpore interire credebant. quinque libros tantum modo recipiebant. Alii erant esei qui ab aliis differebant in vita et in modo viuendi. quia ipsi

3. Sadducei Judaeorum.

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-iv-477/0585
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt
gefördert durch die DFG